

De uitulis quoque, qui a uaccis illis pollutis nati sunt, nescio, quid<sup>53</sup> obsit, ne eorum usus hominibus deseruiat. Sed si scrupulum est alicui, utrum eorum lac aut carnes commedi possint et propter pollutionem matris eorum scandalum aliquod oriat, simul cum matre occidantur uel paganis uendantur, ne turpitudinis priscae memoria scandalum fiat. Dicit enim apostolus ‚Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo in aeternum‘ (1. Cor. 8.13). ‚Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem<sup>54</sup> ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus<sup>55</sup> mortuus est‘ (Rom. 14.15). ‚Noli propter aescam destruere opus Dei. Omnia munda sunt, sed malum est homini, qui per offensionem manducat‘ (Rom. 14.20).

Quod autem nouissime interrogasti de illo, qui auunculum suum nolens siue uolens interficit, quid pati debeat, iam superius de homicidio satis dictum est iuxta id, quod sacri canones<sup>56</sup> continent. Sed manifestum est, quod parricidii crimen maiori subicitur<sup>57</sup> uindictae. Unde sancti patres sanxerunt, quod parricidae deponentes militiae cingulum omni tempore uitae suae in paenitentia persistent, siue in monasterio Deo deseruiant<sup>58, c</sup>.

Haec ergo omnia secundum id, quod in scripturis sacris uel in canonibus patrum expressum inuenimus, conscripsimus. Tu autem, sanctissime, secundum id, quod uideas<sup>59</sup> unicuique expedire, ita temperes iudicium discretionem in omnibus seruans, quia discretio mater est omnium uirtutum. Dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum, qui bene certanti et gregem suum diligenter custodienti aeternum cum suis<sup>60</sup> pastoribus in caelesti regno daturus est praemium.

---

c) Hraban behandelte Verwandtenmord auf dem Konzil von Mainz (847), c. 20, ed. MGH Conc. 3, S. 171 sowie in seinem Bußbuch an Otgar c. 11, MIGNE PL 112, Sp. 1410 CD; dort finden sich aber keine Verweise auf einen Einzug in einem Kloster.

---

53) *corr. ex qui B; quod T.*

54) *carnem T.*

55) *Christe T.*

56) *sacrificationes B.*

57) *corr. ex sibicitur T.*

58) *seruiant T.*

59) *uideris T.*

60) *corr. ex scis B; scis M; sanctis T.*